

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 19. (*Neovidensis* 1806. Nro. 12.)

*Secretum litterarum commercium vivos inter,
ac mortuos.*

Crates salutem dicit ex campis Elysiis, cui-
dam Philosopho germano
In mundo superiore degenti.

Elysium - Meum. - Die Martis 25. Febr. 1806 (*Neov.* 7. Febr. 1806.)

Doctissime virorum!

Si existimas per larvatam doctrinam eorum,
qui se Philosophos jactant, debere homines
in Angelos transformari, profecto tota erras
via. Conferant enim homines omnia sua
mala in unum cumulum, ut æqualiter inter
ipsum distribuantur, nullus dubito illos, qui
se nunc infelicissimos reputant, citius partem
jam prius habitam recepturos, quam illam,
quæ iis ex divisione obtingeret. Audi nar-

Jupiter volens facete suum animum ex-
hilarare, auctor erat hominibus, ut omnia
sua onera, quibus premerentur, in unum lo-
cum comportarent, promittens se illos ab iis
liberaturum. O si vidisses, quomodo undi-
que concurrerint! Alii tulerunt reconditas

sub pallio sarcinas, latebat in iis paupertas; Alii ingentia involucria, & in iis suas uxores; Ibi qui adventabant, vix gradiebantur sub onere suorum debitorum. Omnia in unum acervum congesta sunt, qui in immensum excreverat montem. Nam omnia etiam mala corporis in fascies colligata ibi deposita sunt: Rugæ, rubri nasi, gibbi, curvi pedes, cani capilli, & alii similes hominum nævi, præterea rudera senectutis conquisita, & in eundem locum conglomerata sunt.

Jupiter attonitus; quid, inquit, nec unicum vitium, nec unicam stupiditatem, nec unicum delictum attulistis? ergo nolulistis ad frugem reverti? doluit vobis vel uni affectui nuntium mittere? siccine estis amplexi oblatam occasionem vosmet liberandi a pervertis animi motibus, a præjudiciis, & defectibus?

Tum interposita deliberatione prosequatur sermonem: Quilibet vestrum putavit infortunium, quod passus est, fuisse maximum; hic illa nunc in unum cumulum congesta jacent; Cum vos peccatis vestris exonerare recusaveritis, colla iterum oneribus subjicienda sunt, non quidem illis, quæ attulistis, sed quæ cæce; primo loco apprehenderitis, & hoc quidem in pœnam, quod e cœno priorum seclerum emergere neglexeritis.

Facta est concursatio sine ullo ordine: Quilibet fortuito aliam arripuit sarcinam; Huic debitori obtigit tegmen damnatorum ad

triremes, illi ægroto alienus morbus. Iste senex cœlebs accepit involucro impositam uxorem, ille luxuriosus dives fascem paupertatis. Sexus fœmineus multum occupabatur permutatione suæ formæ; Alia pro canitie obtinuit ulcus; alia pro rotundis humeris cessit brevem corporis habitum, alia denique affecta est turpi vultu propter amissam bonam existimationem: Nemo tamen ex omnibus erat, qui novum malum non gravius sensisset, quam suum antiquum.

Et quæ ex hoc Jovis joco doctrina? Ne ullus ægre ferat suam sortem, & ne invidet alterius felicitati. Huc etiam pertinent sequentes infelices hodierni temporis casus.

Parisiis 1. Febr. Officiosæ ephemerides sequentem continet proclamationem Cæsaris datam in castris ad schönbrunn 27. Decembris, ad exercitum Neapolim proficiscentem. A 10 annis omnia egi, ut Regem Neapolitanum salvum præstarem; ille contra cuncta adhibuit, ut interiret. Post prælia ad *Deگو*, *Mondavi*, & *Lodi* commissa, non poterat nisi exigua manu resistere. Ego fidebam hujus Principis verbis, exhibui eidem magnanimitatem. Sublata ad *Marengo* secunda coalitione mansit Rex Neapolitanus, qui primus hoc injustum bellum occeperat, desertus a suis fœderatis Lunævillæ, solus, & absque defensore. Recurrit ad me, & ego illi iterum iterumque veniam dedi. Ante paucos adhuc menses stetistis ante portas Neapolis. Justissimæ mihi erant causæ suspicandi, quæ cu-

debatur, proditorem, illatasque injurias vindicandi. Agnovi neutralitatem Regni Neapolitani, jussique vos inde excedere, sic erat domus Neapolitana tertio stabilita, ac salva, Estne illi etiam quarto condonandum? Potestne Aulæ sine fide, sine honore, sine intellectu, quarta vice credi? Minime gentium! Dynastia Neapolitana cessavit regnare; Ejus existentia nequit conciliari cum tranquillitate Europæ, non cum honore meæ coronæ. Milites! accingite vos itineri, præcipitate in fluctus debiles legiones tyrannorum maris, si tamen vos expectaverint. Ostendite mundo, quomodo nos puniamus fœdifragos. Properate mihi nuntiare, totam Italiam esse meis legibus, vel meorum fœderatorum subjectam; Pulcherima orbis plaga liberabitur a jugo perfidorum hominum; sanctitas fœderum vindicabitur, ac denique defunctis manibus meorum militum, qui reduces ex Ægypto vix superaverant pericula naufragii, locorum desertorum, & sexcentorum conflictuum, in portibus Siciliæ, interemti sunt, piaculum offeretur! Milites! Meus frater vobis præerit, ille novit mea consilia, plena eum instruxi potestate; omnem in eo fiduciam colloco, vos quoque vestram in illo reponite.

Napoleon.

Ad mandatum Cæsaris. Generalis excubiarum Magister magni exercitus.

Alex. Berthier.

Neapolitanus legatus in Aula nostra residens Marchio Gallo, quem Italicæ epheme-

rides primis elapsi mensis diebus Bononiam venisse dixerant, redeunte Imperatore adhuc apud nos morabatur, verum sequenti die accepit mandatum, ut Parisios desereret.

Francofurti 6. Febr. Amplissimus Magistratus sperabat se sua assidua interpositione effecturum, ut suis civibus in præstando militibus hospitiorum onere aliquod levamen procuraret; interim non sine gravi animi sensu cogitur iisdem mandatum Imperatoris, & Regis Neapoleonis, quod in adnexo Excellentissimi Mareschalli Augereau scripto continetur, publicare de persolvenda 4 millionum francorum contributione.

Amplissimum quidem Magistratum de innocentia suorum civium plene convictum, spes firmissima alit, fore, ut Sua Cæsareo-Regia Majestas humillimam representationem sibi submittendam clementer accipiat, neque inhæreat executioni determinationis, quæ innocuam, & nullius culpam urbem in g. imum infortunium præcipitem ageret.

Attamen sicut summo dolore afficit unumquemque suam patriam sincere amantem civem isthæc infelicitas, ita etiam noverit sui officii esse, pacato animo expectare, quidquid fuerit de civitate constitutum, humaniter habere in hospitio degentes Cæsareas gallicas copias, summa observantia atque sub-

missione ferri erga magnum dominatorem, cuius solius gratia grave hoc malum potest ab urbe nostra avertere, vel mitigare, ut sic, quod postulamus, consequi mereamur.

Quapropter confidit Amplissimus Magistratus in probitate civium universorum, ut in hoc improvise, & immerito, sed etiam summe tristi casu vires suas jungant, ne non tantum in hac, ut spes est ultima terminati belli procella, eoque tempore, quo omnia præsto sunt argumenta sperandi permansuram Civitatis constitutionem, non succumbant, sed potius prudenti circumstantiarum consideratione moti, novum unionis animorum, fidaciæ erga Magistratum, paratæque voluntatis ad faciendas pro conservanda patria immolationes monumentum transmittat ad posteros; Ita fiet, ut tam communi, quam privato bono inflicta vulnera futuris felicioribus temporibus sanentur, & nostra urbs pristinum recuperet florem. Publicatum Francofurti 5. Febr. 1806.

Ex Cancellaria Civica.

Scriptum Excellentissimi Mareschalli Augerean ad urbem Francofurtanam :

Mei Domini!

Meus Imperans, Imperator Gallorum, & Rex Italiæ mihi imposuit, ut ab urbe Francofurtana exigerem contributionem 4 milli-

onum francorum. Cum nulla ratione dubitem, paratos esse omnes ad satisfaciendum voluntati Suxæ Majestatis, auctor sum, ut hæc summa quantocius ad manus Generalis magni exercitus exactoris deponatur. Dominus Garau reddituum Inspector, qui hoc scriptum traditurus est, habet mandatum meo nomine in Senatu de negotio sibi commisso tractandi. In reliquo debito cum cultu maneo. Darmstadii 4. Febr. 1806.

Regni Mareschallus Dux 7.
Divisionis magni exercitus
Augereau.

BIOGRAPHIA.

Crates, discipulus *Diogenis Cynici*, Thebis in Bœotia oriundus, mature applicuit animum ad Philosophiam, ne autem cura rei familiaris avocaretur a studiis, vendidit sua bona, eorumque pretium distribuit inter cives; Narrat hoc *Antisthenes*, & ex illo *Diogenes Laërtius*. Alii vero scribunt, hanc pecuniam fuisse ab ipso apud quemdam argentarium (*Campsorem*) depositam ea lege, ut suis filiis, si hi stupidi manerent, id est, non excolerent Philosophiam, si vero eidem operam darent, ut Publico tradatur, tunc enim illi ea haud egebunt. Sequens oppido jovialis expensarum elenchus illi adscribitur. Da-

da coco 10 mnas, medico dracham, adulatori 5. talenta, consultori fumum, amasiæ talentum, & Philosopho tres obolos.

Interrogatus, cui usui illi esset Philosophia, respondit, ut discerem paucis esse contentus, & vitam absque tædio, ac curis transigere.

Æstate utebatur vestitu valde calido, hyeme autem pertenui, sordidus denique, & immundus illuvie fuit ad nauseam, pallium gestavit ex pellibus ovium non elaboratis. Hæc singularis ratio se vestiendi conjuncta cum naturali deformitate eum fecit monstro similem. Alexander cupidus videndi hæc Cynicum promisit, se ejus patriam Thebas reædificaturum, At, in quem finem? reposuit Crates, alter Alexander eam iterum everteret; contemptus gloriæ, & amor paupertatis sunt mihi patria, hæc bona mihi nullum unquam eripiet fatum.

Vixit circa annum 328 ante natum Christum. Reperiuntur inter *Epistolas Cynicas* sine expresso anno Sorbonensibus typis excusas (Rarus liber) ejus quoque epistolæ.

